DE ECZEMATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XVI. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
HENRICUS VOGELGESANG
BORUSSUS OCCIDENTALIS.

OPPONENTIBUS:
MARIO MARGOLINSKI, MED. ET CHIR. CAND.
FERDINANDO LEONHARDT, MED. ET CHIR. CAND.
ARNOLDO BRESLAUER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

PATRI DILECTISSIMO

DOCTORI DOCTISSIMO, MEDICO PRACTICO

JULIO VOGELGESANG

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Eczema est morbus universae cutis externae, praecipue epidermidis. Exsistit autem sub variis formis; itaque antea non omnes morbos, qui nunc ita sunt nominati, intellexerunt, sed etiam nonnullis a bullarum forma discrepantibus efflorescentiis alia nomina imposuerunt. Sed omnes has formas eundem esse morbum, ex eo colligere potes, quod eczemate diutius permanente alia in aliam mutatur. Quae quidem efflorescentiae dividuntur in eczema papulosum, eczema vesiculosum sive simplex, eczema rubrum, eczema impetiginosum, eczema squamosum, quod a veteribus medicis pityriasis rubra appellabatur.

Simulatque autem morbus exstitit, eczema papulosum erumpit, cute rubescente parvae nascuntur papulae, quae seroso liquore sunt impletae. Quo liquore magis magisque aucto, epidermis, ex qua papulae velamen constat, extenuatur ampliusque diffunditur ita, ut bul-

larum (ampullarum) figuram accipiat, eoque modo vesiculosum eczema fiat. Paulatim epidermis a fulcro sublata dilabitur et videmus rubicundam madentem superficiem, quam eczema rubrum nominamus.

Atque si quae incitatio fit hujus superficiei, facile suppurationem et crustam nasci posse liquet.

Tum habemus speciem et formam illius exanthematis, quod prius impetiginem vocabant. Est autem nihil aliud quam eczema impetiginosum.

Postremo cum eczema sanescit et rubram superficiem squamis superfusam praebet, eczema squamosum seu pityriasin rubram habemus.

In omnibus vero, quas attulimus, differentiis aliquid invenimus, quod commune omnibus illis exanthematis formis est. Etenim remotis iis omnibus, quae morbus gignit, videmus semper in basi rubram madentem superficiem sine ullo substantiae defectu. Quod ad decursum pertinet, eczemata dividimus in acuta et chronica; sed differentialis diagnosis saepe difficillima est.

Decursus demum, id est diuturnitas et redeuntes recidivae chronicum esse eczema confirmant. Tamen certe non erramus, quum dicimus, formas fortius infil-

tratas et spissa crassaque crusta contectas citius procedere, quam minus infiltratas, tenui tantum crusta contectas atque per majores corporis partes diffusas.

Initium verum morbi saepe est totius corporis aegritudo et frigoris sensus, ita ut emergens eczema papulosum, praesertim cum in facie apparet, facillime possis confundere cum variolis.

QUIBUS IN LOCIS ECZEMA REPERIATUR.

Eczema cum omnibus in corporis locis inveniatur, necesse videtur, speciem et formam morbi in capite, trunco, extremitatibus accuratius paullo contemplemur.

Quorum eczema capitis persaepe apparet immunditie capitis effectum, praecipue post diuturnos morbos, quibus aegrotantes capillos neque pectine permulserunt neque composuerunt. Ex qua re haud scio numne causam morbi per longum tempus cogniti, quem plicam polonicam vocant, repetamus.

Forma autem eczematis in capite eadem est, quae in non capillatis universae cutis partibus, sed quae morbus gignit, plàne diversam praebent speciem. Nam protusa epidermis comis adhaerescit, crines autem secreto madido humore arcte conglutinantur, ita ut caput hominis eczematis doloribus laborantis saepe crasso et candido tegmine sit obductum.

Atque si evenit, ut muscae aliave insecta ova hasce in materias immittant (ut plerumque loca eligunt, ubi colliquatio substantiarum organicarum fit), ex iis vermes nascuntur, repentes inter capillos, qui odiosum morbum intolerabiliorem etiam reddunt.

Jam cave, ne eczema capitis cum favo confundas. Nam quamquam mycetes favi flaviore languidioreque sunt colore et mucido putidoque odore distincti et notati, tamen pauca exempla graviora occurrunt, quibus diagnosin facere ex iis, quae morbus procreat, impossibile sit.

Atque ea in conditione bene agis, si remota materia collecta usque ad cranii penetras fornicem; tum enim, si de eczemate agitur, rubram madentem superficiem videbis, sin autem de favo, cutis depressionem, epidermide plane salva et integra.

Attamen interdum fit, ut conjuncta et favum et eczema videas, tum primarius morbus est favus, eczema vero artificialis, radendo effectus. Ceterum saepissime eczema in fronte erumpit, praecipue illis in locis, ubi corona syphilitica observari solet. Cujus eczematis causa plerunque est cutis irritatio in illis, de quibus agitur, locis.

Itaque, ut exemplo utar, saepe homines invadit, qui novo capitis tegumento vestiti rus ex urbe evolant et multum emittunt sudorem. Neque mirum: nam cum capitis tegumentum saepe corio, terebinthina et lacca sit illitum, haec omnis materia sudore solvitur et liquida terebintha irritationem cutis exercens effert eczema. Et potissimum tali rerum conditione saepe accidit, ut cum syphilide aut psoriasi capitis, quae plerumque in vertice primum indeque in circuitu ad sanitatem perduci solet, confunderetur. Praeterea eczema saepe in naso invenimus, vel in narium septo vel in alis, neque raro fit, ut ex eo erysipelata originem ducant, quae tamdiu redeunt, quam eczema apparet, sed causticis aut aliis remediis adhibitis ad eczema removendum statim evanescunt. — Jam Hebra, vis doctissimus, contendit, unaquaque ischopyosi erysipelas nasci posse et nonagies in centum exemplis parva eczemata aut pustulas in naso, auribus, et quae sunt aliae corporis partes, apud eos, qui ex erisypelate laborent, inveniri.

Eczemata autem in auribus et in meatu auditorio externo saepe validam proferunt otorrhoeam, quae in-

jectis causticis liquoribus facile potest removeri. Neque hoc loco confusio cum rupestri pede evitata est.

In trunco praeterea eczema praecipue invenitur in mammis, ubi non raro syphilidem esse false putabant. Ita Vindobonae virgo quaedam per tres annos internis medicamentis frustra curabatur, cum Hebra externa curatione adhibita morbum brevi tempore interposito removeret. — Umbilicus quoque persaepe est mali sedes, neque minus locus circa genitalia retro usque ad brachium, in quo eczema, quod vocant, marginatum saepissime erumpit.

Hic enim et illic semicirculi oriuntur, qui cum in aversum confluant, magnam trunci partem tegunt. Neque minus in hoc, quam in iis, quae memoravimus, locis est cavendum, ne cum syphilide confundatur.

Etiam genitalia, ut dictum est, sedes sunt eczematum et virilia et muliebria, quod hoc loco sudores, intertrigo praecipue, juvant ad illa procreanda.

In pene autem eczema est peculiari forma; nam et instructum est circulis, qui inter se plane cutem monstrant integram, in pene autem dissoluto, externa cute valvulis adstricta, quae efflorescentiis sunt perfusae,

cum cutis depressiones inter eas sitae integrae sint, formam jam antea descriptam, si extenderimus praeputium, inveniemus.

Eczemata autem tam multa interdum per scrotum sunt diffusa, ut tota superficies unam eamque rubram madidamque praebeat laminam, cujus epidermis plane est soluta; humor autem tam largus est, ut ex parte maxime dependente tot tantaeque guttae in terram labantur, ut, si parum diligenter respicis, fistulam urinariam perperam judices.

Sin autem scrotum extenderimus, aquam ex plurimis locis stillantem in hunc unum locum colligi et gravitate pressam guttatim in terram labi, nemo ignorat.

Apud mulieres quidem saepe majora labia pudendi sedes mali sunt et, quod ad artus attinet, praecipue crura, brachia, pedes, manus morbo capiuntur; cujus rei causa est gravissima, quod hae corporis partes solis ardori aut irritantibus substantiis maxime sunt expositae.

Venimus nunc ad

AETIOLOGIAM,

quae maxime est varia; nam modo sunt irritationes externae cutis aut tunicae mucosae, modo dyscrasia, imprimis scrophulosa apud infantes, perturbationes sphaerae sexualis apud feminas, dyspepsiae aut graviores gastroses apud viros. Atque omnes illae causae, quibus urticaria interponi potest, eczema quoque procreare queunt, ut afferam exemplum, usus cancrorum, acrium condimentorum, veluti piperis, zingiberis: aliis autem rebus, quae nullo modo acres, sed aromaticae sunt, veluti fragaria vesca, bromelia, cucumere melone, modo urticaria, modo eczemata nascuntur, idque saepe non, irritatione cutis solum sed etiam membranae mucosae ventriculi et oris. Matron aquaedam, quae est Vindobonae, simulatque cancri chelam labris tantum tetigit, in toto corpore urticariis obducitur. Atque sicut oris tunicae mucosae irritatio, ita aliarum tunicarum mucosarum irritationes eczematum causae exstiterunt; hoc

modo enterelcoses, intestinorum polypi urticaria brevi tempore aut eczemata ostenderunt, neque minus irritationes tunicae mucosae vaginae, uteri. Quod quidem Franzoni, pessario intra vaginam fracto, Hebra specillo, ut reflexionem aliquam uteri tolleret, inserto perspexit. Et uteri quidem polypos eczematum causas esse plurimi attulerunt. Omnis uteri tumor, ubicunque situs est, eczema proferre potest. Quod haud raro fieri videmus et quum benigni, et quum maligni tumores in utero locum occuparunt, neque differt, si in fundo, aut in corpore, aut in orificio sunt, invenimus autem saepissime benignos in fundo, malignos, imprimis carcinomata, in orificio uteri. Neque vero e morbo, qui tumores producit, eczema oritur, immo vero excitatione tunicae mucosae, quae impressione eorum corporum alienorum affertur. Quos tumores eczema efficere eo apparet, quod operatione facta eczema subito deficit, quum, quoad tumores non excisi sunt, nulla therapia, cujusmodi sit, morbum supprimere possit. Sed irritationes quoque epidermidis quaecunque eczemata effecerunt. Quod plerisque exemplis probatur: in hydrotherapeuticis institutis aqua frigida cuti modo admota eczema

subito erupisse animadversum est; Hebra, cum homo, qui ei curandus erat, in genitalibus anoque eczemata peculiaribus finibus circumscripta ostendisset, primo illum sella abnormi modo constructa usum esse pressuque inde percepto morbum cepisse ratus, deinde quum accuratius rem perspexisset, cognovit, longe aliter eam se habere. Ille enim homo cum vehementi genitalium bromhydrosi laboraret, postquam multo antea lotus non est, insessus expertus est; quo facto omnia illa loca, quae aqua erant conspersa, eczemata ceperant. Idem quum Hebra auctore balnea intermisisset et eczematibus liberatus esset, haud ita multo post ad Hebram reversus eczema in corpore praebuit, quod nulla alia de causa ortum erat, nisi quod embrocatione in balneo utebatur.

Quorundam insectorum puncturae, ut culicum neque minus pulicum, eczemata efficiunt, quorum plerumque eventus urticaria est, quam quidem multis culicum ictibus toleratis imprimis infantes capere constat eamque tam effuse, ut ad erysypelatis similitudinem accedat. Etiamque interdum unguenta incitantia, quae in corporis loco maxime exiguo adhibentur, eczema per totum corpus propagatum provocarunt. Hebra in homine quodam aegro-

tante emplastrum pusillum, quod tonsor clavo pedis imposuerat, invenit. Ipsum emplastrum id effecisse, ex eo manifestum erat, quod circa ejus ipsius circuitum pedis digitus eczematis ampullis opertus erat, illoque emplastro sublato statim sanatio facta est. Illa etiam unguenta contra scabiem adhibita, praesertim radice hellebori mixta, immensa procreant eczemata.

Sartor quidam, qui scabiem intra digitos tantum habuerat indeque illis modo locis oblinitus erat, per totum corpus cepit eczemata, quae cum ne tum quidem evanuissent, quum illinitiones intermissae et impositum unguentum remotum essent, longiore demum curatione tollebantur. Toto corpori unguento sulfurato illito, inprimis in illa, quae dicitur, curatione moscovitica antea frequentata, eczemata semper paene eduntur artificialia, quae quidem cum iis, quae ex acaris nascuntur, saepissime confusa sunt, praesertim quum prurigo in eczemate non modo non minus, verum etiam multo vehementius, quam in scabie inveniatur.

Qua opinione permoti, medici illinitiones non intermiserunt, sed potius amplius adhibuerunt, ut acari tandem interficerentur, quo errore eczema magis indies

crescebat. — Ceterum ut in omnibus morbis, ita etiam in hoc prurigo mechanica oritur, si serosus liquor lente in corii maculas instillat. Valida infiltratione prurigo non exstat neque magis rasione externae cutis vehementi, sed lenta atque levis extensio plane eandem, quam lenis corii tactus perceptionem exhibet. Frequentissimam eczematis causam in manibus positam esse constat, quippe quae causticis substantiis et inprimis frigori expositae sint, veluti fabrorum ferrariorum, qui multum prope ignem versantur, pistorum, lotricum, quae lixiviis multum utuntur. Praeterea eczema originem ducit ex adhibito oleo crotonis atque, id quod jam antea commemoravimus, ex scrophulis, ex anomalia menstruationis mulierum. Quae quidem etiam graviditate durante eczemata accipiunt, quae partu levato statim evanescunt. Interdum etiam contrarium fit. Hebra per multos annos matronam curabat, quae, paullulum tantum solis luci exposita vel clariori etiam lampadis, in facie eczematibus affecta est et, simulatque gravida evasit, ea amittebat. Neque redierunt per totam graviditatem, etsi in acerrimo solis ardore aut proxime a lampadis luce aberat. Partu autem peracto, eczema

statim prodiit, quae res non mutata est usque ad eam aetatem, qua genitalium functiones desierunt. Rarius, quam menstruationis anomaliae, gastroses eczemata progignunt, quae tam diu durant,quamdiu digestionis organorum morbus. Neque negari potest, saepe accidere, ut eczemata chronica per multos annos durent, nullis ad eorum aetiologiam judicandam momentis inventis; neque ulla interna, ulla externa curatione, ulla quamvis accuratissima observatione morbus potest expelli. Sic Vindobonae ditissimus argentarius, qui nihil omiserat, quod ad sanandum pertinebat morbum, amplius decem annis eczemate laborat atque, quamquam omnes consultavit medicos variosque iniit tractandi modos, nihil ad salutem sanationemque conferre potest. Quo in casu nulla adest externae cutis irritatio, interna naturaliter se habent organa, victus ratio, quam servabat, erat optima; omnes spirituosae potiones, omnes cibi quodammodo conditi adeo sunt vitata, ut omnes fere boli, quos comedebat, scripti exstent.

Cum essent, qui nimio carnium esu eczema posse nasci putarent, tamen ne haec quidem sententia valet. Virgo enim quaedam, quamquam per duos annos fere

omni carne se abstinebat, eczema non perdidit, nullo alio morbo cognito. Centurio quidam, qui ex hoc morbo complures per annos laborat et omnibus, quae possunt, tentatis remediis victus ratione malum studuit finire, modo omnes spirituosas potiones repudians, modo illas crebrius sumens, neque nimia abstinentia, neque coacta intemperantia aut in melius aut in deterius morbum mutare potuit. Tum malum breve per tempus evanescens reperte redintegratum eum ad officium inutilem reddidit. Omnibus in his chronicis eczematibus, postquam una eademque efflorescentia non per longum duravit tempus, sed evanuit nulla substantiae parte amissa, relicto tantum loco nigro pigmentato, nova efflorescentia in illius locum ingreditur, quae denuo totum illarum, quas supra attulimus, mutationum ordinem emetitur vel certe emetiri potest.

THERAPIA.

Pristinis temporibus eczema ita, ut omnes morbos cutaneos, internis remediis curare conabantur, quod omnium efflorescentiarum causas in internorum organorum morbis positas esse et materiam, quae morbum excitaret, cutaneum morbum in lucem prodire arbitrabantur.

Qua opinione freti, longum per tempus catharticis medicamentis utebantur, sed tantum aberat, ut eczema minueretur (quod in aliis aliquot morbis cutaneis fit), ut organis eo debilitatis malum in gravius augeretur, et in specie ejus expansio.

Antimonium crudum, quod ab aliis specificum eczematis commendatum est, plerumque salubre non est probatum.

Britanni, praecipue Hunt, ad eczema removendum arsenicum adhibent, ut omnes morbos, qui non ad syphilidem spectant, hoc remedio sanari posse censeant.

Sed arsenicum, quamquam interdum nonnulla ad removendum morbum contulit, tamen crebro omni vi

carebat. Quod remedium valde Hebra probat, si digestionis organa naturaliter se habeant. Si eczema per totum corpus pateat, si recidivae minoris extensionis modo in hac, modo illa corporis parte appareant, asiaticae pilulae forma adhibet arsenicum.

℞ Acidi arsenicosi gr. lxviij.
Pulveris piperis nigri ℥ix.
Gummi mimosae ℥ij.
Gummi arabici.
Aquae destillatae āā.
qu. satis ut fiant pilulae No. DCCC.

Cujus medicamenti tres pilulas quotidie per hebdomadem sumere aegrotam jubeas, singulam autem addas sequenti hebdomade, donec quotidie 12 pilulas i. e. granum arsenici accipiat, tum redeas ad tres pilulas.

Erant quidem medici, qui eczema ad syphilidem reduxerint et mercurium et jodum semper adhibuerint; alii autem, moscovitici imprimis, scrophulosin primariam causam et peculiare medicamentum adipem esse judicaverunt, saepissime scilicet sine ullo successu.

Ubicumque vel viri vel mulieres eczemate laborantes chlorosi aegrotant, adhibenda sunt medicamenta

martialia, ex quibus Hebra efficacissimum reperit ferrum sulphuricum.

Recentiore verum tempore, ut in omnibus universae externae cutis morbis, ita in eczemate interna medicamenta in contemtum venerunt; praeterea, cum certum aetiologicum momentum peti potest, medicamentorum internorum loco medici talia frequentaverunt, quae in ipsam cutem agant, ita exsistimantes, plurimos morbos cutaneos in hoc ipso organo consistere et saepe certe nullo modo ad ullam internorum organorum affectionem pertinere.

Eczema igitur cum minime cutem incitet, maximeque nihil aliud sit, quam vitiosa epidermidis formatio, in qua illa a suo fulcro sublata semper intereat necesse sit, processus ille accelerabatur deleta ex industria epidermide, quo celerius eczema adduceretur ad sanitatem.

Quae quidem epidermidis amotio duobus modis fieri potest, aut maceratione aut cauterisatione, qua re externa remedia ex duabus illis rebus unam debent perficere.

Maceratio autem epidermidis effici potest simplici aquae usu, quae epithematibus frigidis, involutioni-

bus, frigidis balneis, embrocationibus applicanda est.

Sed in hac hydrotherapeutica curatione maxima est procedendum cautione, ne detrimento magis, quam utilitati sit.

Quodsi humida admoves fomenta, diligentissime videas oportet, ut illis affectae tantum corporis partes obtegantur, non sana cutis tangatur, quae facile eczemata capere possit. Praeterea semper destillata aqua est opus, ne, si quae insunt salis partes, nova exerceatur in cutem irritatio.

Fomenta quidem haud diu in uno esse loco patiaris, sed interdum intermittas, donec prurigo crescit, neque aliter in totius corporis involutionibus te geras.

Sin autem balnea frigida aegrotus tentat, persistat in iis, quamdiu commode se habet, sed ubi prurigo augetur, statim balneo excedat. Et in embrocationibus optimum est, aquam non rapido impetu, qui eczema gignere possit, sed leniter demitti ex minore quam unius pedis altitudine. Aqua vero adhibita cum multi homines celerrime effusum eczema assumant, non ubique haec sanandi ratio accommodata videtur.

Hebra contendit, eczema etiam in iis, qui haud ab-

horrent ab aqua, eo usque redigi, ut eczema squamosum seu pityriasis rubra sit.

Quo facto aegrotus lectum quaerere jussus sine alia cura convalescit.

Multi etiam thermas laudarunt, modo prospero, modo inani eventu, ita ut minime possis confidere, utrum aqua therma fiat, ut morbus sanetur vel in melius mutetur, nec ne.

Ante omnia sulphurata balnea cemmendata sunt, et ex eventu constat, iis praecipue aegrotis esse apta, quorum eczemata chronica sint, minime madescant et frequentibus nodulis pertexantur.

Eos vero, quorum eczemata praebent infiltrationes, magis madescunt et ad acutorum numerum referenda sunt, numquam ad ea balnea mittere licet. Eorum etiam, quae salsam aquam emittunt, balneorum effectus est incertus, in quibus Kreuznach et Hall excellunt; Hebra aegrotum curandum nuper susceperat, cujus eczema Crucenaci erat sanatum, sex autem annis interjectis recidivum tunc eodem balneo minime erat mutatum.

Quodsi mavis epidermidem cauterisatione tolli, effi-

cacem saepe invenies saponem kalinum, qui aut fomentorum saponaceorum forma singulis corporis partibus imponi aut toti corpori aegroti illiniri aut inter lanea stragula interponi potest.

Sed cave obliviscaris, sapone remoto aquam frigidam vel adipem, quaecumque est, vel picem liquidam iis, de quibus agitur, locis imponere, quoniam cutis sapone tam fit fragilis, ut nuda rhagades et complura capiat eczemata.

Quae quidem tractatio, cum plerumque bene eveniat, tamen artuum motum per aliquod tempus prohibet, epidermide acerrime adstricta.

Ut modo kalio in centralisatione usi sumus, etiam purum solutumque in balneis vel ipsum integrum medicamentum causticum adhibere possumus.

Ad manuum pedumve balnea plerumque (gr. v.) ℥i, ad majora balnea (gr. ij) ℥i praescribimus, atque si causticum esse volumus, unam kalii caustici cum duabus aquae partibus miscemus.

Qua in re caute agas oportet, ne corium ipsum aduras; ad id persequendum, penicillo aut linteo carpto partibus morbo affectis kalium leniter illinas, quo

facto, ubi singulae efflorescentiae albescunt, frigida epithemata imponas neve id redintegres septem diebus non interjectis.

Oleum autem jecoris, quod supra demonstravimus moscoviticorum medicorum in usu fuisse, egregiam habuisse vim putabatur; mox autem quemvis adipem idem valere apparuit.

Nostro ipso tempore Hebrae unguentum diachyton aptissimum est, quod emplastro diaboli olei olivarum balsamique Peruviani totidem drachmis, quam aliarum partium unciis admixtis continetur

Id unguentum aliis adipibus superius esse putat, quod cuti arctius adhaeret, quam illi, simulque bronchydosiam, quippe quae conjuncta sit cum eczematibus, coërcet.

Hujus usus ea est ratio: unguentum laneo panno illitum cerato linteo operitur atque post nonnullas horas epithemate sublato pars morbo affecta acriter deteritur, deinde utendum est unguento, donec ampullae plane evanuerint nihilque quam rubra puncta remaneant auctore Devergie. Valde autem prospere pix liquida cessit in curando capillato capite, qua Hebra hoc fere modo

utitur. Primis diebus aegroti capiti sub vesperam adipe abundanter illito linamentum oleo madefactum imponitur (ad illuviem arcendam parrum ceratum insuper admoveas), deinde aegrotus quiescat, donec mane remotis linamentis caput sapone et aqua abluatur, ut squamae emollitae removeantur. Per diem autem aegrotus laneo involucro capiti admoto ambulet, donec vespere eadem facias, quam antea. Atque hoc modo pergas, donec omnes, quae eczemata tegunt, squamae evanescant.

Quamquam sane nihil refert, qualis sit adeps, tamen Hebra suasore propter gratum odorem oleum macidis (3ij) libenter sumitur. Quodsi caput diligenter est purgatum, ut madentem superficiem ante oculos positam habeamus, quod plerumque duobus vel tribus diebus interjectis fit, vespere quidem olei infrictiones fiant neque minus quovis mane quotidie lotiones. Sed operam demus oportet, ut levi destillataque aqua capiti affusa fomentisque humidis admotis capitis cutis hyperaemia minuatur et liquor reprimatur. Atque si coeptum succedit, (plerumque interpositis octo diebus) ut supra diximus, haud intempestive ad adhibendam picem li-

quidam venias, ita ut mane penicillo picem liquidam aegroti capiti illinas capillisque pectine exsiccatis aegrotum per diem nudo capite ambulare, vespere autem aliquamdiu, veluti octo dies, lanea tegmina oleo madida imponi jubeas, quod quidem postea supervacuum est.

Atque proximo die remota pice novum involucrum admoveas. Hebra quidem pice liquida usus hanc fere compositionem adhibet:

℞ Olei Rusci ℥j.
Aether. sulphurici.
Alcoholis rectificatissimi āā ℥jß.
Olei Lavandulae.
Olei Rutae.
Olei Rosmarini āā ℈j.

Aethere sulphurio quidem utitur, ut picis odorem mitiget, alcohole autem, quo facilius illam tollat; olea quaevis alia eligas licet, cum utilitatem ex iis non percipias nisi ad leniendum odorem.

Sed sunt homines, qui omnio intolerabilem picem putent, neque deest ratio judicio illi, nam persaepe fit, ut jam primis allatis frictionibus prurigine formidabili vexentur aut post aliquantum temporis subito prurigi-

nem illam sentiant, quae saepe eo usque procedit, ut ad insaniam fere excitentur; persaepe etiam originem ex pice dermatitis capit et acne, quam vocant, quam ab acne vulgari non dignoscere potes nisi eo, quod in medio infiltrato loco non comedonem, sed nigram picis guttam praebet.

Quas ad res arcendas etsi alia remedia exstant, tamen non eam, quam pix, praestant utilitatem, quorum ex numero in eczematibus minus infiltratis afferam zincum sulphurium et cuprum aceticum (gr. v.) ℥j, quae sub forma fomentorum adhibentur, in acrius infiltratis Hydrargyrum bichloratum corrosivum (gr. ij) ℥j, quibus Hebra praecipue pro maniluvio utitur.

VITA.

Natus sum Henricus Julius Vogelgesang, confessioni evangelicae addictus, in vico Thiergart Borussiae occidentalis, die XV mensis Junii anni MDCCCXL, patre Julio, matre Amalia, de gente Becker, quos adhuc vivos veneror. Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium Elbingense, quod adhuc sub Benecke, directoris illustrissimi, auspiciis floret, deinde gymnasium Palaeopolitanum, quod tum beato directore illustrissimo Ellendt florebat, frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus, tempore paschali a. MDCCCLX academiam petivi Albertinam, ubi a professore illustrissimo Sanio, tum prorectore magnifico, in numerum studiosorum academiae Albertinae receptus a consilii medicinalis regii collega Ill. Hayn, jamjam beato, tum facultatis medicae decano, in album medicorum inscriptus sum.

Deinde Vindobonam me contuli indeque Berolinum petivi.

Docuerunt me per octo semestria: psychologiam Ill. Rosenkranz; osteologiam Ill. Burdach; anatomiam universalem artemque cadaverum rite secandorum Ill. Mueller; physicen organorum sensuum et disciplinam magnetismi et galvanismi Ill. Moser; botanicen Ill. Caspary; chemiam experimentalem Ill. Werther; physiologiam, histologiam Ill. de Wittich; artem percutiendi et auscultandi Ill. Hirsch;

artem obstetriciam et theoreticam et practicam beat. Hayn; chirurgiam specialem, aciurgiam et operationum in cadaveribus instituendarum artem, luxationes et fracturas Ill. Wagner.

Praeterea interfui his scholis: clinico medico duce Ill. Hirsch; policlinico medico duce Ill. Moeller; clinico chirurgico duce Ill. Wagner; clinico et policlinico obstetricio duce Ill. Hayn et auscultans et aegrotorum curam in me suscipiens.

Quibus viris optime de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.

Jam tentaminibus et physico et medico, neque minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

I. Pneumonia morbus est cyclicus.

II. Morbi cutanei nunquam ex acrimoniis sanguinis oriuntur.

III. Pellagra non semper illius causa est insaniae, quae post hunc morbum oritur.